

Iudices ergo non laesit et propositum malitiosi accusatoris ostendit.

An vero nuper clarissimi cives nomen editicii iudicis non tulerunt.

Adhuc eandem, quantum rebus ipsis appareat, inculcat 5 iniquitatem iudicii, quod Laterensis ut ex editiciis haberet, maxime laboraverat. Et hac in parte commemorationem videtur facere Tullius eius temporis, quo Servius . . .

*(Desunt IV paginae.)*

§ 50. . . suffragium tulisset, eum totius populi consensione 10 gratis designatum esse manifestum sit.

Numquam enim nobilitas, integra praesertim atque innocens, a populo supplex . . .

. . . exprobrare identidem superbiam, quod nimia fiducia nobilitatis designatus sit populo supplicare ac propterea 15 non impetraverit aedilitatem, quae a Plancio verecundius atque demissius peteretur.

§ 51. Avus vero tuus et P. Nasicae tibi aediliciam praedicaret repulsam.

Totum hoc . . . sufficienter implevit . . ., quoniam 20 fecerat ille quaestiunculam, ut ambisse Plancium ex hoc probaretur, quod praepositus esset nobilissimo senatori. Hic ergo quasi ex persona patris eius et avi de aliis etiam nobilibus intulit mentionem, quos repulsos ab honore constabat. Illo igitur contendit argumentationis effectus, eos 25 vel maxime, qui blande et suppliciter petant, facilius designari solere, quando superbia nobiliorum ad invidiam sive odium proclivior esse consuerit.